

LVNÆ DIE 16 M. IVNII A. 2014

A.d. XVI Kal. Iulias a. MMXIV

I 80

M E L I S S A



VEDUTA DELLA PIAZZA DI S. CROCE DELLA CITTA' DI FIRENZE NEL ATTO DI PRINCIPIARE IL GIOCO DEL CALCIO JTT. 1600

FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA

AVSPICIIS DOMVS ERASMIANÆ ET ACADEMIÆ LATINITATI FOVENDÆ
SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS
Gaius Licoppe

REDACTRIX
Francisca Derædt

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan, B - 1040 Bruxellis.
Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / g.licoppe@skynet.be / www.fundatiomelissa.org
Bureau de dépôt : 4210 Burdinne – n° d'agrément P912128

DE VESTITVS PONDERE IN CVLTV CIVILI

- *scripsit Gaius Licoppe* -

In diario *Le Soir* die 21 m. Martii a. 2014 edito symbola divulgata est a singulari viro conscripta; Bruno enim Nassim Aboudrar Parisiis natus est ante quinquaginta annos a patre Marochiano et matre Hungara; idem æstheticam artisque theoriam in Sorbonensi Universitate «Paris III» docet. In hac symbola respondet diurnario, qui eum interrogat quid sentiat de Occidentalium opinione ad velum islamicum spectante; cur hoc velum eos tantum perturbet? Huic quæstiōni iam respondit Aboudrar in libro hoc ipso anno edito, c.t. *Quomodo velum factum sit mahometanum.*¹

Putatur in Occidente velum iura feminæ et laicitatem offendere; auctor tamen negat hanc esse præcipuum perturbationis causam. Multo maiorem causam esse differentiam inter cultum orientalem et occidentalem. In cultu enim occidentali prævalere visum, unde nunc tota libertas, quin etiam necessitas, etiam corpus revelandi; contra in orientali homines visibilibus diffidere atque inter alia mulierum virorumque corpus celari. Hanc tamen consuetudinem nostris temporibus in cultu orientali gradatim tolli effectu photographeatis, cinematœ, televisionis et interretis; solum superesse velum, quod inde sensum symbolicum adeptum sit, quod antea non habuerit.

Feminæ mahometanæ hodiernæ, ait auctor, velum gerunt non ut aviæ et abaviæ, sed ut mulieres Arabiæ Saudianæ et Emiratum; eæ enim multo libiores sunt, quæ per velum coloratum venustatem et divitias ostendunt.

Ex experientia tamen mea, qui sæpius Bruxellis ambulans multis feminis mahometanis occurro, dicere possum velum fere numquam esse coloratum, immo cinereum esse et triste, plerumque circum faciem tam arte adstrictum, ut genæ tumescentes puerilem præbeant aspectum. Multæ etiam harum feminarum longam fuscamque vestem et rudia calceamenta gerunt; non puto tamen indolis femininæ esse aspectum tam ingratum præbere; certe est effectus longæ traditionis marum dominatus.

Auctor etiam dicit velum tantum in religione christiana fuisse signum femininæ submissionis. Oportet hanc affirmationem propius inspiciamus.

Velamen sive perlucidum, sive opacum feminis gerendum in Oriente pertinet ad mores antiquos. Iam apud Assyrios velum gerebant mulieres nobiles et nuptæ, ut a servabus distinguerentur. Usus *purdah* (i.e. velaminis), sic apud Persas vocati, ad duas res spectat, quæ sunt separatio sexuum et obligatio mulieribus imposita corporis formæ celandæ. Notandum est de his vitæ regulis solos statuisse viros.

In Veteri Testamento Israelitarum mulieres sæpe

apparent capite nudo, sed in Genesi leguntur hæc: «[Rebecca] ait ad puerum: 'Quis est ille homo qui venit per agrum in occursum nobis?' Dixitque ei: 'Ipse est dominus meus.' At illa, tollens cito pallium, operuit se. Servus autem cuncta, quæ gesserat, narravit Isaac; qui introduxit eam in tabernaculum Saræ matris suæ et accepit eam uxorem» (24, 65-67). Veli ergo consuetudo etiam apud nomades vigebat. In Cantico canticorum scriptum est: «Quam pulchra es, amica mea, quam pulchra es: oculi tui columbarum per velamen tuum» (4, 1).

Apud antiquos Græcos mores iidem non sunt in omnibus orbis Græci partibus. Athenis, de qua urbe sæpius agitur, condicio feminarum est satis mala, peior quam præcedenti ætate Minoa aut Homericæ. Feminæ enim nullius ponderis sunt in civitate, omni iure carent et in gynæco manent inclusæ; sunt incoltae et solum didicerunt quomodo res domesticæ essent gerendæ; eis domo exire tantum licet raris occasionibus festorum religiosorum, et quidem capite lacinia tecto. Spartæ eodem tempore puellæ inter pueros libere ambulant leviter vestitæ.

Romana societas, initio agrestis et patriarchalis, decursu sæculorum facta est urbana et funditus mutata est; tempore Imperii florentis (secundo sæc. p.Ch.n.) «totum gentilicium ius in desuetudinem abiit»;² infinita potestas patris familiæ iam non exstat; «patria potestas in pietate debet, non atrocitate consistere»,³ ut dicit iurisconsultus Marcius, et femina fere in omnibus rebus iuridicis viro facta est æqualis. In desuetudinem etiam abierunt tria matrimonii genera, confarreatio, coemptio et usus, quibus uxor sub manu mariti vivebat; novum matrimonii genus præcedunt sponsalia, quibus sponsus sponsæ dona affert inter quæ anulum ex ferro aurato vel ex auro, quem sponsa statim ponit in annulario. Curnam in annulario? Iucundum est legere quomodo Aulus Gellius hoc explicet: «Veteres Græcos anulum habuisse in digito accepimus sinistræ manus qui minimo est proximus. Romanos quoque homines aiunt sic plerumque anulis usitatos. Causam esse huius rei Apion in libris ‘Ægyptiacis’ hanc dicit, quod insectis apertisque huminis corporibus, ut mos in Ægypto fuit, quas Græci ἀνατομὰς appellant, repertum est nervum quendam tenuissimum ab eo uno digito de quo diximus, ad cor hominis pergere ac pervenire; propterea non inscitum visum esse eum potissimum digitum tali honore decorandum, qui continens et quasi conexus esse cum principatu cordis videretur.»⁴

In ipsis nuptiis femina velum in capite gerit, quod vocatur «flammeum» propter colorem aurantiacum

nitentemque. A nemine femina nubere cogitur atque ipsa sponsum elit. Amborum consensus necessarius est et, cum matrimonium pangitur, femina dicit: «Ubi tu Gaius ego Gaia».

Ecclesia catholica nihil fere mutavit in hac matrimoniī forma, quæ nostris quoque temporibus in Occidente viget. Ea tamen orientalem consuetudinem iterum introduxit, ut legitur apud Paulum apostolum, qui in epistula ad Ephesios scribit: «vir caput est mulieris sicut et Christus caput est ecclesiae» (5, 23) et «sed ut ecclesia subiecta est Christo ita et mulieres viris suis in omnibus» (5, 24).

Sed redeamus ad symbolam Brunonis Aboudrar; qui dicit in Corano de velo vix agi; in una tantum linea legi velum mulieribus esse gerendum dignitatis causa, i.e. ut a servabus et meretricibus distinguantur.

Si Coranum evolvimus, invenimus *suratam* XXIV, in cuius paragrapho 31 leguntur hæc: «Dic feminis credentibus ut oculos demittant, ut sint castæ, ut exteriorum tantum illecebrarum partem ostendant, ut velum in pectus demittant, ut illecebras ostendant tantum maritis aut patribus aut maritorum patribus aut filiis aut maritorum filiis aut fratribus aut fratum filiis aut sororum filiis aut ancillis aut servis aut ministris castratis aut pueris impubibus.»

Hic agitur de feminarum castitate pudicitiaque, sed in *suratæ* XXXIII paragrapho 59 iterum agitur de feminarum vestitu et ibi de earum dignitate: «O propheta! Dic uxoris filiabusque tuis uxorisbusque credentium ut se velis tegant; hic eis est optimus modus, quo agnoscantur nec offendantur.»

Aboudrar tamen non negat velum factum esse instrumentum submissionis; præcipuum autem signum submissionis est inclusio domi. A diurnario interrogatus, num mahometanum velum sit modus, quo feminæ ostendant se cultui occidentali adversari, respondet ita esse sine ullo dubio; eas etiam sequi nolle consuetudinem corporis nudandi, qualis nunc in Occidente viget. Putat mahometanas mulieres velum non esse deposituras, sed apud plerasque velum fieri multicolor minusque signum religionis quam munditiæ.

Cogitationes illius professoris non aptæ sunt ad mitigandam civium occidentalium perturbationem; mahometani enim videntur singularitatem et segregationem servare velle, contra spem nostrorum regentium, qui eos suis popularibus assimilare conantur. Non raro in diariis refertur de tristi sorte alicuius puellæ mahometanæ, quæ sponsum non mahometanum elegerat.

Recte tamen mihi videtur iudicavisse, cum dixerit verum problema esse differentiam inter cultum orientalem et occidentalem.

Antiqui Græci, a quibus oritur Europæus cultus civilis, iam ætate archaica, quæ ab historicis vocatur, statuas virorum omnino nudorum fingebant; κούποι Græce vocabantur. Eadem ætate fingebantur feminæ,

κόραι vocatæ, quarum totum corpus veste adstricta adhuc tegebatur. Postea corporis pulchritudinem magis magisque celebraverunt artifices.

Aphrodite Cnidia, Praxitelis opus quarti saeculi a.Ch.n., prima est imago feminæ totius nudæ, quæ hominis staturam habeat. Cnidi posita erat in templo undique aperto, ut lustratores statuam etiam a tergo et lateribus admirari possent. Permuti iter faciebant ad eam videndam, ut legitur apud Plinium Maiorem: «Opera eius sunt Athenis in Ceramico, sed ante omnia est non solum Praxitelis, verum in toto orbe terrarum Venus, quam ut viderent multi navigaverunt Cnidum.» (36, 20).

Contra in orientali cultu civili corporum nuditas numquam celebrata est ac cum totum fere Orientem subigit religio mahometana, etiam non licuit viventium imagines fingere.

Quamquam Iudæi, christiani et mahometani eundem deum colunt, apud Iudæos et mahometanos est deus sine forma more Orientalium, cum apud christianos deus, eius filius et Maria, filii mater, aspectum humanum præbeant. Hæc singularitas apparuit postquam Paulus Apostolus statuit religionem christianam inter Iudæos natam etiam propagare apud alios homines in Imperio Romano; tunc partim relinquere debuit originalem identitatem orientalem; tanta erat vis hellenismi, ut usus divinarum imaginum servaretur.

Christianæ tamen religio efficit ut in orbe Romano nuditatatem ostendere non liceret. Bonum exemplum huius mutationis præbet Sidonius Apollinaris in epistula ad quandam amicum circa annum 465 missa, qua eum in lautissimam villam Avitaci⁵ sitam invitat; in balnei descriptione leguntur inter alia hæc: «Non hic per nudam pictorum corporum pulchritudinem turpis prostat historia, quæ sicut ornat artem, sic devenustat artificem (...) Absunt lubrici tortuosique pugilatu et nexibus palæstritæ, quorum etiam viventum luctas, si involvantur obscenius, casta confestim gymnasiarorum virga dissolvit. Quid plura? Nihil illis paginis impressum reperietur, quod non vidisse sit sanctius.»

Mens Græca et occidentalis cogitandi modus, qui ab ea oritur, funditus contrarius est menti, quæ in Oriente prævalet. Orientales enim numquam suscepunt principium causæ rationalis, neque Protagoræ sententiam «Omnium rerum mensura est homo». Mundus eis non videtur esse machina, quam regunt leges humanæ menti intellegibiles, unde fit ut homo mundi dominus sit. Illi causis physicis opponunt causas mysticas.

A tempore Litterarum Renatarum cultus civilis occidentalis coepitus est mutari. Antea tota hominum vita regebatur ab Ecclesia nec quicquam fingebatur nisi personæ sanctæ piæque scænæ; optimi artifices finis illius ætatis sunt Giotto (1266/67-1337) et Fra Angelico (1395-1456). Michael Angelus (1475-1564) clarissimum

est exemplum mutationis, qui Antiquorum instar operibus suis mire valuerit pulchritudinem humani corporis celebrare. Mutatio tamen quinto decimo saeculo incohata lentissime progressa est; gravia vestimenta diu gesserunt cives, quibus erant decori; feminarum corpora stolis obtegebantur a collo ad talos nec umquam capite nudo domo exiebant. Sic adhuc vestita erat avia mea priore dimidia parte vicesimi saeculi vita functa; ante alterum bellum mundanum mater mea, cum ecclesiam intrabat, vestem manicatam gerebat nec solum caput ei erat tectum sed ante faciem etiam gerebat leve reticulum. Saeculo vicesimo homines gradatim levati sunt supervacaneis vestimentis; ab anno 1915 audax vestium creatrix Coco Chanel novum vestiendi modum mulieribus proposuit, quo corporis motus fierent libiores. Atque e nova consuetudine in mari balneandi evenit ut corpora magis magisque nudarentur.

Mutatio autem non solum ad vestem spectavit, sed etiam ad modum civitatis gubernandae necnon ad iura feminarum. Cum eodem saeculo oriretur democratis, mores societatis humanae ab Ecclesia catholica regi iam non potuerunt; apparuit notio «laicitatis», qua civitatis regimen separatur a religione; religio facta est res personalis, iam non publica.

Ab ineunte undevicesimo saeculo scholae creatae sunt pro puellis, sed accessus ad studiorum universitatem eis non patuit ante posteriorem partem eiusdem saeculi, primum in Helvetia.

In regimine democratico, praesertim undevicesimo saeculo multis in civitatibus orbis occidentalis instituto, omnibus civibus suffragia dare licuit ad regentes eligendos, feminis tamen exceptis. Fortes et audaces mulieres diu luctatae sunt, ut tandem feminis quoque licaret suffragia dare, eligi et omnibus publicis munibus fungi; hoc solum fieri incepit priore dimidia parte vicesimi saeculi, in Belgica non ante annum 1948.

Feminæ iuridice sive a patre sive a marito diu omnino pendebant; gradatim res mutatae sunt, sed in Francogallia anno demum 1946 in nova rei publicae constitutione mulierum virorumque æqualitas iurum inscripta est. Mihi est parentum libellus matrimonii anno 1930 pacti; in quo adhuc scriptum est uxorem debere marito obediens eumque quocumque sequi. Nunc coniuges omnino æquales sunt; evanuit patria potestas et ambo parentes in liberos eandem habent potestatem.

In religione iudaica et duabus, quæ ex ea venerunt, christiana et mahometana scilicet, non solum dei cultus curatur, sed stricti mores imponuntur populo credentium; etiam genitalium mutilationem subeunt omnes pueri, quamquam ipsi de re iudicare nondum valent; solum in religione christiana circumcisio non fit, eo quod in Imperio Romano euangelium predicari non potuit, nisi tolleretur haec iudaismi regula; verpos enim Græci et Romani despiciebant.

Dum in Occidente saeculis undevicesimo et vicesi-

mo mutationes cultus civilis celerius et celerius fiunt, in mahometano Oriente paucis tantum in civitatibus timidæ mutationes ad Europæ exemplum susceptæ sunt, vehementer quidem obstantibus viris religiosis, qui antiquos mores imponere pergunt. Coranum est verbum dei, ergo immutabile; *hadith* vocantur relationes prophetis comitum de eius verbis et actis (circiter 100.000 habentur authenticæ); *sunna* prophetica, quæ constat e Corano et *hadith*, est fons legum in orbe mahometano.

Saeculo octavo apparent schola theologica (*mutazilismus*), quæ, iniecta Græcorum philosophorum mente, conatur rationem cum islamica doctrina temperare; obstante tamen mente orientali, cogitatio mystica iterum substituit philosophiæ rationali: dedecet divinam revelationem criticæ humanæ subigere. Averroës (XII sæc.), ultimus huius scholæ philosophus, clarus Aristotelis commentator fuit, sed ab auctoritatibus mahometanis habitus est ut hæreticus et in exsilium missus; eius libri combusti sunt.

Cogitatio rationalis in orbe mahometano tertio decimo saeculo evanuit; eodem tempore fautores islamicae traditionis *charia* vocatae, qua significatur «via dei legis respiciendæ», eam perficiunt; quæ semper obstitit, etiam nunc, morum legumque mutationi.

Tribunal Europæum Iuribus Hominum Tuendis in decreto die 31 m. Iulii 2001 dato declarat *charia* regulas præcipuis regiminis democratici principiis repugnare; praesertim hominum iura et æqualitas feminarum viorumque non respiciuntur.

Ad concludendum, mahometani, qui in regiones occidentales immigraverunt, multo maiore libertate et prosperitate ibi fruuntur, quam in patria; si puellabus mahometanis licet libere ambulare, in schola doceri, in studiorum universitatibus recipi, ad omnia munera accedere, hoc eo fieri potest, quod mores in regionibus occidentalibus mutati sunt post longam arduamque fortium feminarum pugnam in regiminibus democraticis; puellæ ergo, quæ velum islamicum consulto gerunt, ut se cultui occidentali adversari ostendant, animo cæcæ sunt et insuper ingratæ. ☩

1. *Comment le voile est devenu musulman*, Paris, Flammarion, 2014.

2. Gaius, *Instit.*, III, 17.

3. *Dig.*, XLVIII, 9, 5.

4. *Noctes Atticae*, X, 10.

5. Hodie Aydat, non longe a Clermont-Ferrand in Gallia.

6. Sidonii Apollinaris Epistularum liber secundus, 2.

M A T H E M A T I C A

DE PROBLEMATIS INVERSIS

– *scripsit Ionas Ilmavirta (Universitas Granivicensis)* –

Continenter occurunt rerum condiciones, in quibus aliquid mensurandum est: velocitas autorædæ, capacitas farinæ, effectus lucernæ aut aliquid aliud. Quam maxime necesse est instrumenta mensurando apta habere, quo facilius mensurare – et vivere – possimus.

In mensurando instrumenta duorum generum habere oportet, technica et mentalia. Si volumus mensurare velocitatem autorædæ, vehimus ea et mensuramus tempus adhibitum horologio et longitudinem itineris circuitibus canthi numerandis. Scire volumus et longitudinem unius circuitus, quem funiculo metrico parare possumus. Sic instrumentis technicis (horologio, numeratio circuituum, funiculo metrico) tres mensurations factæ sunt, sed nulla horum velocitas est.

Deinde adhibenda sunt instrumenta mentalia, artes ratiocinandi et calculandi. Multiplicatio numeri circuitum eorum longitudine dat longitudinem itineris. Deinde longitudinem itineris tempore acto dividendo velocitatem medianam cognoscimus. Sic tandem velocitas mensurata est, in quo maxime usui erant instrumenta et technica et mentalia.

Interdum recte mensurare non licet. Si medicus densitatem ossis femoris ægri mensurare vult, non licet os e femore removere et deinde massam et capacitatem mensurare de eisque dividendo densitatem calculare. Salus ægri fovenda limitem ponit rationi mensurandi, et indirecte mensurandum est. Debet aliquo alio modo densitatem ratiocinari. Quia ratiocinatio talis haud facilis est, grave est pondus instrumentorum mentalium nec solum technicorum.

PROBLEMA RECTUM ET INVERSUM

Scopus investigationis problematum inversorum est instrumenta utriusque generis parare, quæ in mensurationibus indirectis adhiberi possint. Ipse latus mathematicum problematum inversorum scrutor, quare hæc problemata artem mathematicam indirecte mensurandi habeo. In foco sunt instrumenta mentalia, nec, quod ad mathematicen attinet, multiplicatio cum divisione satisfacit.

Tale est natura problema rectum: proprietatibus aliquius rei cognitis ratiocinandum est, quo modo illa se gerat. Si exempli causa notæ sunt longitudo, crassitudo, densitas et tensio chordæ citharæ, vox chorda edita facile calculatur. Voci enim inest frequentia fundamentalis necnon ea quoque numerorum naturalium multiplicata. His proprietatibus datis cognosci possunt omnes frequentiæ, quas chorda edere potest, sed magnitudo cuiusque frequentiæ ignota manet.

Problema inversum autem hanc quæstionem invertit: gestu alicuius rei noto eius proprietates ratiocinandæ sunt. In exemplo nostro citharico vocem audimus et proprietates (longitudo, crassitudo, densitas et tensio) nobis explorandæ sunt. Hoc enim fieri non potest, quia si diametros chordæ in dimidium minuitur et longitudo duplicatur, vox eadem manet. Itaque problema hoc inversum clara solutione caret, sed aliquid de indolibus chordæ cognosci potest.

Si tres ex quattuor chordæ proprietatibus notæ sunt exploratæque frequentiæ, quarta semper calculari potest. Si igitur longitudinem et crassitudinem mensurare licet ac materia nota est (densitas in libro tabulario legi potest), noscitur tensio. Problema inversum sic formatum solutionem unicam habet.

Quid si citharam in tympanum mutamus? Si proprietates membranæ tympani notæ sunt, vox facilis est calculatu (problema rectum). Sed si vocem tympani audimus et omnes proprietates præter formam scimus, potestne forma eius explorari? Nemo responsum perfectum dare quit, sed nonnil iam notum est.

Si vox tympani talis est, ut eam membrana rotunda dare possit, certe membrana rotunda data est. Vox tympani rotundi numquam nos fallit. Cum autem multæ formæ angulosæ, quæ eandem vocem dent, inventæ sint, possumus etiam errare de aliquibus formis tympanorum.

Quales tympanos possumus eorum vocibus auditis recognoscere? Hæc quæstio acerrime investigatur, et problemata sunt in instrumentis mentalibus. Hæc quæstio mathematice exacte formulari potest, sed eam solvere difficillimum est. Studium huius quæstionis non ab oblectationibus musicalibus oritur, sed idem exemplar mathematicum alias quoque usui est.

Problemata recta et inversa supra exposita pertinent ad aream mathematics, quæ geometria spectralis appellatur. Secundum nomen suum nexus inter spectrum (frequentia vocis) et geometriam (longitudo sive forma) scrutatur. Alia quoque sunt problemata inversa, sed hæc bonum exemplum præbent.

Mensuratio indirecta exemplis musicalibus similis multis nota est. Cultores melonum melonem quatiendo et audiendo ratiocinari possunt, an maturus sit, et talis ratiocinatio iam diu adhibita est.

Problemata inversa investiganda laboriosa sunt. Ut exempla demonstrant, interdum solutio unica problemati deest (variæ proprietates eosdem gestus efficere possunt) et problema est difficilius quam versio eius recta. Interest – et usui est – investigare, quæ problemata inversa solutionem unicam habeant sive quæ methodi indirecte mensurandi omnino adhiberi possint.

RESTIS PENSANDA

Conemur uno exemplo mensurationes indirectas melius intelligere. Metam nobis ponamus restem pensandam, quæ utroque limite parieti affixa est sicut restis lintearia. Si restem abripare licet et ad libram pone-re, problema facile est, sed difficilius fit, si eam non licet solvere. Prohibitio talis naturalior est in arte medicina, cum homo ægrotus fractus restitui non pos-sit, sed ne hoc distrahamur.

Possimus restem sicut chordam citharæ adhibere et meminisse supra scripta, et sic facimus. Ponimus prope alterum locum affixionis axem alicuius generis, super quam restis eat. (Si nil est, in quo axem affigeremus, rogamus amicum, ut axem teneat.) In parte breviore restis suspendimus pondus duorum fere chiliogramma-tum, cuius massa est multo maior quam restis et nobis nota.

Nunc pars longior restis tenta est, et ea canere pos-sumus sicut corda citharæ. Si medium restem paullo deorsum trahimus deinceps solvimus, restis pulchre oscillat. Horologio mensuramus quanto tempore decies oscillet et ita frequentiam cognoscimus. Tota reste eodem rhythmico oscillante scimus hanc frequentiam esse frequentiam fundamentalem.

Longitudo et crassitudo sunt faciles mensuratu. Volumus scire etiam tensionem. Eam cognoscimus, quia massa ponderis nota est et angulus partis restis, de qua pendet, facile mensuratur.

Nunc sumus in rerum condicione supra descripta: scimus longitudinem, crassitudinem, tensionem et frequentiam oscillationis. Ex his calculare possumus den-sitatem, et illam capacitate multiplicando massam exploramus. Hæc est solum massa partis restis tentæ, sed massam totius restis facile cognoscimus videndo, qualis pars restis tenta sit. Sic demum est massa restis cognita.

TOMOGRAPHIA RÖNTGENIANA

Solutio cuiusdam problematis inversi vitam multo-rum faciliorem reddit, et mentionis dignum est. Incipiamus enim cum problemate directo et descriptio-ne rerum condicionum.

Radii Röntgeniani persimiles sunt radiis lucis. Radiatio Röntgeniana est lux, cuius colorem oculus humanus non capit – est, ut ita dicam, nimis cœruleus. Lux talis parari et mensurari potest sicut lux visibilis lampade et machina photographica, quare instrumentis aptis ornatus homo radiis Röntgenianis videre potest sicut solitis radiis lucis. Dissimiliter luci hodiernæ hæc

lux magnopere per corpus humanum it, quod efficit, ut interiora hominis videre liceat.

In imagine Röntgeniana os fractum facile videtur, sed non omnes structuræ tam facile in una imagine percipiuntur. Etsi multæ sint imagines, est defectus in medulla ossis plerumque difficilis perceptu, cum ossi-bus aliisque structuris a quaue parte umbretur.

Si structura hominis accurate nota est, id est, quid ubique sit, facile est ratiocinari, quales imagines Röntgenianæ a quaue parte factæ videantur. Problema inversum ad hoc attinens rogat, possitne structura hominis tridimensionalis ex imaginibus Röntgenianis ab omnibus partibus factis inveniri. Accidit, ut vero inveniri possit, sed haud facile est. In ratiocinando auxilio computatri opus est, quia computationes sunt complicatæ, sed computatris hodiernis hoc facilissime efficitur. Propter usum computatri hæc methodus ple-rumque tomographia computatralis appellatur (breviter CT ex verbis Anglicis *computerized tomography*).

Hæc methodus indirecta mensurandi utilissima est. Cotidie in nosocomiis medici ea utuntur, ut intra ægros videant. Itaque haud mirum est eius inventores Cormack et Hounsfield præmium Nobelianum in medicina anno 1979 tulisse.

Investigationes meæ ad problemata inversa tomo-graphiæ Röntgenianæ similia attinent, sed expositio earum hic non apta est. Attamen diversa problemata inversa nexus improvisos inter se habent, et exempli causa problema inversum tomographiæ Röntgenianæ nexum intimum habet cum geometria spectrali supra exposita. Hoc est sal mathematics; haud quisquam coniectaverit ratiocinationem formæ tympani et fracturæ ossis simillimam esse!

DISSERTATIO

Hic textus etiam pars dissertationis divulgabitur iuxta versionem Finnicam et Anglicam. Dissertationem, quæ titulum habet Anglicum *On the broken ray transform*, mense Augusto huius anni defendam in Universitate Granivicensi. ☩

IMMORTALITAS

– *scripsit Marcus Cristini* –

*Nonne tibi videtur stultissimus omnium
qui flevit quod ante annos mille non vixerat?
Æque stultus est qui flet quod post annos mille non vivet.*
(Seneca, *Epistulae Morales ad Lucilium*, LXXVII, II)

Professor Prometheus Tithonus fessus erat. Post vitam inter lectiones et doctissimas investigationes peractam sentiebat occasum sui appropinquare. Nobili genere natus, erat magna vi et animi et corporis, sed mens eius pedetemptim senescebat: aliquando oblitus erat factorum, nominum, negotiorum. Olim, cum iuvenis esset, innumerabiles librorum series memoriæ mandabat paucis diebus et paginas viginti vel triginta una nocte scribebat. Nunc, pro dolor, non iam hoc facere poterat: verba ex calamo eius lente tardeque fluebant, difficile ei fiebat novas personas, nova carmina, nova præcepta creare. Nam professor Tithonus, ut principes commentarii nationales memoraverant nuper, non solum præclarus philologus, palæographus, latinista, humanista, historicus et philosophus, sed etiam scriptor pæne omnibus notus erat. In longa fructuosissimaque vita eius plus quam ducentos libros, libellos, commentariosque scripserat, carminibus eius exceptis. Omnis civis nationis professorem Prometheus Tithonum cognoscebat et etiam extra fines patriæ non ignotus erat. Diurnarius quidam eum «animum inquietum nostri sæculi» appellaverat. Fortasse, sed nunc animus ille et inquietus et fessus erat, fessus ob famam, fessus ob quinque concilia pro hebdomade cum aliis doctis, fessus ob genus hominum corde et ingenio durum, quod libros eius iam non libenter legebat. At præsertim is fessus tristisque erat ob ineptias, quæ mentem iuvenum die nocteque occupabant. Ille natus erat ad extrema litora sapientiæ adipiscenda, ad vexillum rationis in novis et inexploratis mundis infigendum, non ad lusum pedefollii in televisorio spectandum! Quo iverant disputationes de sensu vitæ, de significatione historiæ, de immortalitate animi? «At omnia dicta sunt» solebant amici eius respondere. Minime, semper quid novi inveniendum manet! Certus erat ignaviam hanc tempus abiecturum esse, sed ille senex erat, mundus eius ad occasum vertebat, novum diluculum sapientiæ visurus non erat.

Deinde alia quæstio eum terrebat: quid eveniet libris suis? Fortasse posteri cogitationes eius bene intellegent, at, pro dolor, fortasse non. Insuper, terribile dictu, accidere potest ut scripta eius, quasi naufragi, undis temporis submergantur.

Hæc et cetera alia mentem Tithoni frequentabant cum prandio magno cum nonnullis professoribus adesset. Repente vocem tonantem pone eum audivit: erat Cæsar Nestorius, amicus Promethei ab infantia et cla-

rus cordis chirurgus. Duo homines paulisper de familia, valetudine et feriis locuti sunt, deinde Nestorius submissa voce dixit: «Promethee, his mensibus dedicavi me totum rei maximi momenti humanitati. Felix exitus tam prope erat ut pæne tangerem illud! At, hercule, navis mea in vadum incidit et timeo ut navigare pergere possit!». Tithonus, qui de creberrima his temporibus inopia pecuniæ cogitabat, adsensit: «Amice mi, ætas nostra difficilis est, pecunia super arboribus non crescit et...» «Minime, minime!» respondit ille. «De pecunia non agitur, sed de stultis ufficialibus publicis. Edicta centum hinc, edicta mille illic, pæne furio! Et præterea desunt voluntarii parati ad periclitandum pro salute humani generis, hodie nemo de posteris, de tempore futuro cogitat.» «Recte, recte!» dixit Tithonus. «Eadem semper et ego dico, sed nemo me audire vult. Vivimus in mundo obscuro, sine spe. Sapientia, quæ sola libertas est, a perpaucis colitur. Utinam mundum sæculi posterioris, certe meliorem quam istum, videre meis oculis possem!» Nestorius amicum attente conspexit. «Studium meum quidem finem hunc habet. Ego velim vitam lætiorem et longiorem, multo longiorum, omnibus hominibus. Si coniecturæ meæ rectæ sunt, et de hoc parum dubito, somnium tuum verum fieri poterit.» «Quo pacto?» «Ego et studiosi amici mei invenimus proteinum quoddam remittens permultum senectutem cellularum. Immortalitas ad portas! Sed, pro dolor, vetitus sum eas aperire. Opus est enim mihi saltem uno voluntario, sed nusquam eum repperi.» «Cur?» «Vide, proteinum problematis non parvi causam est. Re vera id senectutem cellularum remittit, sed remittit etiam omnes motus corporis. Homo, qui proteinum assumit, in veternum profundissimum ingreditur.» Tithonus subrisit: «Non miror quod voluntarii haud multi sunt.» «Non est ita ut credas, ego nolo quemquam necare. Proteinum non solum senectutem cellularum remittit, sed etiam progressionem morborum. Ægrotus poterit hodie dormitare et e somno post ducentos annos excitari, cura morbi iam longo tempore inventa.» «Quæ cum ita sint, quid tantæ difficultates existunt? Nonnulli homines certo curam periculis plenam potius quam mortem malunt.» «Fortasse sic est, sed morositas officialium publicorum me impedit. Videtur ullum hominem graviter ægrotum curam inusitatam assumere non posse. Hoc infame est: publici officiales ægrotos perire malunt quam eos proteinum meum experiri!» «Et nemo est qui, sanus, proteinum

tuum assumere velit?» «Hic aliæ difficultates oriuntur. Nam voluntarii, ut iam dixi, paucissimi sunt et illi pecuniam maximam volunt ad curam experiendam. At societas humana iura defendantes clamitant me pro voluntaria morte cum nummis propugnare. Nihil falsius! Ipse paratus essem ad proteinum adsumendum, sed postea quis investigationes meas ducturus esset? Insuper...» At Tithonus eum iam non audiebat. In mente eius orta erat cogitatio magna. Sermo cum Nestorio eventus fatalis videbatur. Professor usitate fato non confidebat, sed tunc certus erat Fortunam illic adesse. Dea eum aspiciebat, responsum expectabat. Unum verbum cogitavit: «Volo.»

Post annum omnia parata erant. Tithonus in parvo cubiculo ultimas horas in sæculo suo vivebat. Multa dicere et scribere voluisse, sed frustra. Commotio, ne dicam metus, manum linguamque eius impeditiebat. Sic postremo televisorum accedit, ut extremas imagines ætatis suæ spectaret. At retia televisoria cuncta pedifolium ostendebant. «O tempora! O mores! O curas hominum! O quantum est in rebus inane!» exclamavit magna voce. Deinde valde iratus televisorum extinxit et cubiculum reliquit. Duo viri eum ad aulam grandem penitus sub terra positam duxerunt, ubi erat amicus Nestorius. «Promethee, dic mihi, estne paratus? Si vis etiam nunc consistere possumus...». «Ne hoc dixeris! Tu me ab infanthia noscisti, timor me numquam fugavit.» Medicus subrisit: verba illa expectabat. Præbuit amico chartas fere infinitas, quibus Tithonus diligenter subscriptis, deinde cum eo adeptus est capsulam, in qua Tithonus diu permansurus erat. «Noli timere! Cuncta iterum et iterum cogitata sunt. Aula ista in regione stabilissima est, hic nullus terræmotus umquam fiet. Insuper capsula potentiam sufficientem plus quam annis bis mille habet. Ut tecum statutum est, ego et studiosi, qui post me venturi sunt, observabimus effectus proteinum in corpore tuo per annos ducentos, deinde aulam claudemus. Interea notitia experimenti huius tam longe lateque diffusa erit, ut humanum genus de te obliisci non possit. Favente fortuna post duo milia annorum homines capsulam hanc iterum aperient.» «Fortuna vere favente» cogitavit Tithonus, sed is pericula cognoscebat et ea acceperat. Veste plastica materia facta induita, ingressus est in capsulam. Secum tulit solum parvam sarcinam cum omnibus operibus eius minutissimis literis scriptis super aureis paginis. Nam cogitaverat homines ævi futuri fortasse libris suis carituros esse et ille eos tanto beneficio orbare ausus non erat, nefas! Improviso sensit dolorem brachio et intellexit proteinum cum fistula ei dari. Necesse erat eum vigilem proteinum assumere. Post hac venit anæsthesia.

Nullum fuit crepusculum, nox repente præcipitavit.

Sed confestim lux redivit. Tithonus in mente sua increpitum: aliquid erratum factum erat. Vix dormitavit et iterum vigil erat. At luces aulæ oculos eius offendebant, sic aliquo tempore nihil videre potuit. Minutatim homines quosdam circum se videntur. Locuti erant insolitis verbis, quæ non intellegebat, sed arbitratus est rem ob anæsthesiam ita esse. Aliquis manum eius tetigit. Ratus erat id ab amico suo fieri, sic dixit: «Cæsar, hercule, quid fecisti? Mihi promisisti nullam difficultatem fore et...» sed interrupit verba sua: coram eo non amicum Cæsarem Nestorium, sed aliam rem humana formam, pelle argentea et oculis vitreis, aspexit. Magno cum metu intellexit id robotum esse! Brevi tempore concitatio impedivit Tithonum ne aliquid cogitaret. Deinde exclamavit: «Triumphavi, ævum futurum adeptus sum!». Postea sarcinam tetigit et magno cum solacio microlibros suos sensit. «Vere exegi monumenum ære perennius, immo, tempore perennius» in animo suo volverbat. Robotum videntur hominem vigilem esse et aliud robotum, statura minore, vocavit. Id metallica voce dixit: «Promethee Tithone, quæso, noli surgere. Nuper excitatus es a somno bis mille annorum. Inspicere debemus utrum membra tua damna aliqua passa sint necne. Quietus mane, quæso.» Sed professor consilium roboti secutus non est. «Itaque experimentum successit! Quo anno me e somno excitavisti?». Robotum aliqua cum difficultate respondit: «Hic est annus 829 Nuvagiri, exacte duo milia annorum prætermitti sunt ab tempore, quo dormire incepisti.» His dictis robotum non iam locutum est. Examinibus peractis abivit et in aula solum aliud robotum longis et cœruleis cruribus mansit. Is dixit professorem bene valere et postero die illum cum clarissimis inter studiosos Unionis Planetarum locuturum esse. Exsuscitatio eius eventus magni momenti et valde expectatus erat.

Mane professor Prometheus Tithonus ingressus est in immensam Universitatem Sophiapolis. Cum iter ad civitatem istam fecerat miratus est turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus et populis et linguis, stantem prope viam ut eum aspiceret. Robotum ei dixit die illo homines mulieresque habitantes in planetis, lunis et navibus sideralibus oculos ad Terram convertisse, ut virum temporis acti (sic appellatus erat) observarent. Professor lætus erat super quam cuiquam credibile est. «Factus sum testis ætatis meæ, lux ævi præteriti, memoria litterarum antiquarum, magister historiæ mundi occasi, nuntius vetustatis! Sum fax sapientiæ transacta per tenebras temporis edacis!» Interea robota duo eum ad aulam magnam pic-

turis inusitatis ornatam duxerant. Illic erat homo vetus, oculis nigris, capillis candidis, facie serena. «Professor Promethee Tithone, perlatus sum te in ætate hac salutare. Ego Wingerus Yullis appellor, præses Unionis Planetarum sum.» Locutus erat lente et solemniter. «Dies hic memorabilis est: caligo, quæ sæcula præterita obscurat, hodie ad extremum evanescet. Nam terribilis tempestas magnetica omnia documenta temporum antiquorum abhinc annos mille et quadringentos delevit. Historici longissimo tempore facta inquisiverunt, quæ tibi heri acciderunt; æquo modo philologi nostri a sæculis pugnant ad parva fragmenta inlustrium librorum veterum intellegenda. Sed coram te nos omnes pueri sumus, conantes mare cum situlis extinguere.» Animus Tithoni tumefactus est lætitia et manus eius sarcinam cum microlibris tetigit. Præses Unionis Planetarum duodecim claros studiosos introduxit, qui quæve ab omni regione universi venerant ut cum homine temporis acti loquerentur. Omnes eum humaniter salutaverunt, posthac Tithonum ad sedem eburneam comitati sunt. Et illi sederunt ac statim ante facies eorum tabellæ virides luce factæ parvis cum maculis et lineis candidis ornatæ apparuerunt. «Signa alba illa scriptura aliqua esse debent» cogitavit. «Certe tyrannis litterarum et chartarum longe superata est! Nunc humanitas omnis unum alphabetum habet et simplicissimis ex symbolis utitur: punctis et lineis!»

Præses iterum cum Tithono locutus est: «Professor, ego et studiosi illustrissimi hi multas quæstiones te rogare velimus. Ignorantia nostra de astronomia, botanica, philologia, philosophia et litteris abyssus multa est, tu solus dubia nostra solvere potes.» Prometheus, voluptate maxima captus, se vere apostolum sapientiæ

esse sentiebat. «Tamen ante cuncta interrogatio una tibi facienda est a nobis. Nam fontes ætatis tuæ pene infinita verba de re quadam continent. Libri, commentarii, programmata televisoria vel radiophonica et epistulæ electronicæ verbum hunc creberrime ostendunt, sed nos de significatione eius incertissimi sumus. Legiones doctorum et studiosorum argumentum hoc tractaverunt, librorum milliens milia de hoc scripta sunt, exæccteti multi completi sunt, sed conclusio certa nondum inventa est. Hodie tu dubium istud solvere potes, de quo omnis civis doctus Unionis Planetarum a pueritia ætatis sideralis disceperat.»

Tithonus per totam vitam suam momentum huius generis expectaverat. Quam subtilissimam quæstionem de philologia, philosophia vel historia præses rogaturus erat? In quo arcano mysterio temporis antiqui luce sapientiæ illuminaturus erat? Præsidi dixit se paratum esse ad respondendum. Wingerus Yullis, commotione pene victus, duodecim studiosos aspexit. Ii manum dexteram lente et arcane moverunt. Præses caput vertit ad Tithonum et verba illa, in omnibus libris historiæ locum principem habitura, pronuntiavit: «Exacte, quid est extraludus?»¹ ↗

1. Italice *fuorigioco*, Theodisce *Abseitsregel*, Anglice *off-side*, Francogallice *bors-jeu* vel *loi II du football*, Hispanice *fueras de juego*.

HODIERNO DIE NON TANTVM MEO BENEFICIO

MIHI VACO SED SPECTACVLI,

QVOD OMNES MOLESTOS AD SPHÆROMACHIAM ADVOCAVIT...

Sen. Ep. IX, 80

HORA GRAVIS

*- auctore Thoma Mann, interpretibus Ylermi Lutinnen et Teiva Oksala,
Maija-Leena Kallela adiuvante -*

POSSITNE THOMAS MANN IN LATINUM TRANSFERRI?

Tres Latinistæ Finni – illi scilicet qui subscriptse-runt – animi impulsu decreverunt unam novellam Thomæ Mann in Latinum reddere. Ylermi Lutinnen fabellam difficillimam elegit et cum Teiva Oksala eam Latine vertit Maija-Leena Kallela ultimam limam præ-bente.

Novella *Schwere Stunde* primum divulgata est anno 1905, deinde inveniri potest e.g. in collectione *Das Wunderkind* (1914, Berolini). Thema eius est luctamen cuiusdam poetæ Germani cum suo opere historico, quod eius vires superare videtur. Quamquam poeta ille non nominatim tractatur, non tamen diu anonymus manet, quod lector historiæ litterarum peritus ex omnibus rebus colligere potest eum esse Fridericum von Schiller (1759–1805), cum anno fere 1796 acerrimam gerit contentionem cum sua trilogia *Wallenstein*, qua tria dramata historica continentur et quæ anno demum 1800 divulgata est. Narratio est maximam partem experientia interior, oratio interna poetæ, quæ in Latino oratione obliqua redi potest. Ansam ille superiorem sui operis capessere conatur, quod illi in fine fabellæ contigit. Punctum comparationis est amicus Vimarianus, Johannes Wolfgang von Goethe (1749–1832).

Cooperatio inter ambos poetas fuit validissima illo ipso decennio. Schiller anno 1795 tractatum *Über naive und sentimentale Dichtung* (De poesi nativa et sentimental) composuit, ubi se ipsum «poetam sentimentalem» esse autumat, amicum autem Goethe «poetam nativum». «Poeta sentimental» domum suam amissam desiderat et sua opera summo labore creat, ut protagonista nostræ novellæ, «poeta nativus» naturæ convenienter vivere scit et carmina sua Dei gratia creat. ☩

Teivas OKSALA

Amensa ille scriptoria surrexit,¹ a sua parva arca loculata fragili, surrexit ut homo desperatus et capite demisso ad angulum oppositum incessit, ad fornacem scilicet, quæ columnæ instar alta et procera stabant. Manus ad laminas fictiles premebat, pæne omnino refrigeratas, nam iamdudum media nox præterierat. Itaque ad eas dorsum applicabat, ne parvum quidem beneficium adeptus, quod petiverat, ac lacinias vestis matutinæ, cuius per frontem ingluvies fimbriata et iam decolorata conspici poterat, tussiens contraxit. Ut plus aeris acciperet, laboriose per nasum anhelavit, nam ut

sæpe fieri solebat, pituita nunc quoque laborabat.

Rhinitis eius singularis et dira erat, quæ eum fere numquam omnino reliquit. Palpebrae eius inflamatæ marginesque narium irritatæ erant, et in capite membrisque rhinitis ista eum quasi crapula gravis et acerba premebat. An causa fuit laxitatis et mæstitiæ claustrum conclavis dolorosum, quod medicus abhinc complures septimanas præscriperat? Deus sciebat, an recte fecisset. Catarrhus continuus et spasmi pectoris alvique hoc fortasse necessarium fecerunt. Asperitas cæli iam septimanas, multas septimanas supra Ienam profecto erat, cælum miserabile odioque dignum, quod omnibus nervis sentiri poterat – cælum vastum, obscurum, frigidum. Et ventus Decembribus ululabat in fumi meatu fornacis, infrenatus et impius, ita ut resonaret tamquam in tesquis nocturnis in tempestate et errore, in horribili animi mærore. Neque bona erat ista custodia angusta, nequaquam bona cogitationibus et rhythmo sanguinis, unde cogitationes oriebantur.

Conclave erat sexangulum, nudum, simplex, iniu-cundum: fumus tabaci sub tecto calce macerato fluctuabat, de tapeto oblique scutulato adumbrationes marginibus ovalibus pendebant, quattuor, quinque res pedibus tenuibus vacillabant. Illuminatum erat conclave duabus candelis, quæ ad partes extremas manuscrip-ti in arca loculata scriptoria ardebant. Vela rubra de margine superiore fenestræ pendebant, non nisi panniculi lino xylino symmetrice complicati; sed rubra erant, rubra quidem calide sonoreque, et ille ea amabat et umquam amittere noluit, quod aliquid luxuriosum et libidinosum ad egestatem conclavis inelegantem et abstinentem darent.

Ad fornacem stabat et in opus celeriter oculis doloro-se fatigatis et nictantibus spectavit, unde fugæ se mandaverat, in onus illud, in laborem illum, in dolorem conscientiæ, in mare, quod exhaustum erat, in operam illam terribilem spectabat, quæ superbia et miseria eius, cælum et condemnatio erat. Opus trahebatur, consistebat, se loco tenebat – iterum, iterum! Culpa fuit tempestas et catarrhus eius et fatigatio. An opus ipsum? An opera ipsa? Fuit ista conceptio infelix et desperationi consecrata?

Surrexerat, ut paulum distantiæ inter se et opus haberet, nam sæpe intervallum spatiale a manuscripto efficiebat, ut scriptor conspectum et visionem ampliorrem in materiam consequi et parem esse rei posset. Sane, nonnumquam accidit, ut sensus levamenti animum inflammaret, ubi locum luctaminis aversati sumus. Ita ardor animi integror erat quam instinctus liquoris seu coffeeæ nigræ fortis... Pocillum parvum in mensa erat. Si id eum trans impedimentum adiuvaret?

Non, non, non amplius! Non solum medicum, sed etiam quendam alium eum caute præmonuisse, ne id faceret: quendam alium, qui illic Vimariæ sedem habebat et quem odio cum desiderio amaret. Alium illum sapientem esse. Vivere et creare scire illum; se ipsum haud vexare, sed optime curare.

Domi sumnum erat silentium. Ventus solum exaudiri poterat, qui deorsum per Angiportum Castelli stridebat, et imber fenestras verberans. Omnes dormiebant, hospes ædium cum suis, Charlotte et liberi. Solus ergo ille stabat exsommis ad fornacem refrigeratam oculosque vexatus nictabat ad opus versus, cui propter insufficientiam morbosam diffidebat. Collum eius album longe e fasciis vestium eminebat, et crura eius vara inter lacinias vestis matutinæ videbantur. Crines eius rubri ex fronte alto teneroque retrorsum compti erant et sinus pallidos et venosos nudos relinquebant auresque cirris tenuibus tegebant. A radice magni nasi curvati, cuius acumen inopinate erat niveum, supercilia densa oriebantur, quæ crinibus fusciora erant, alterum iuxta alterum, quam ob rem oculi inflammati, profunde iacentes, quiddam tragicum reflectebant. Illi per os spirandum erat; labia sua tenebra aperiebat et genæ lentiginosæ, ex aere conclavis pallidæ et laxæ, contrahebantur.

Non, male rem gestam, omnia esse frustra!
Exercitum! Exercitum in scenam inducendum fuisse!
Exercitum omnium fundamentum fuisse! Cum is non ante oculos exponi posset – possetne de tam ingenti arte cogitari, ut spectator exercitum animo concipere cogeretur? Heroem non esse heroem, ne nobilem quidem, sed frigidum! Compositionem esse falsam, sermonem esse falsum: lectionem historicam siccā et fastidiosam, verbosam, simplicem, ad scenam minime aptam!

Bene, finem ergo adesse. Cladem esse. Conatum ad irritum redactum. Ruinas esse fortunarum. Se amico Körner opus scribere voluisse, probō amico Körner, qui sibi confideret et genio suo infantili fide crederet. Amicum illum irrisurum, supplicaturum, strepiturum, se ipsum de Carolo commemoraturum, qui etiam ex dubiis, laboribus et mutationibus expeditum postremo post omnem dolorem opus excellentissimum et clarissimum extitisset. Rem tamen tum aliter fuisse. Se quidem fuisse, qui opus habilibus manibus aggredieretur, et ex eo victoriam sibi fingeret. Quid de scrupulis et certaminibus? Certe illa plurima fuisse! Ægrum quoque se fuisse, fortasse ægriorem quam nunc, inopia laborantem, profugum, a mundo dissidentem, compressum, humaniter mendicū. Se tamen esse adulescentem, admodum iuvenem iam nunc!

Quotienscumque licet suppressus esset, animum suum flexibilem tamen prosiluisse, et post molestiarum tempora alia tempora fidei et triumphi interioris advenisse. Ea non amplius advenire, vix umquam advenire. Unam noctem affectus flagrantis, cum semel in luce ardantis ingenii intueretur, quid fieri posset, si tali gratia frui sibi semper liceret, una septimana tenebrarum et languoris solvendam esse. Se fatigatum esse, non amplius triginta septem annos natum, sed iam ad finem vitæ. Fidem sibi non iam esse, quæ ad futurum tempus, quæ in miseria sua stella fuisset. Rem ita esse, veritatem esse spe destitutam: annos angustiarum et inferioritatis, quos annos miseriae et probationis iudicavisset, reapse annos divites et fructuosos fuisse; at nunc, cum paulum fortunæ oblatum esset, cum ex expilatione animi ad iustitiam et ad societatem civilem inisset, cum munus honoremque haberet, uxorem liberosque possideret, se esse defessum et confectum. Rem male gestam et desperationem – hæc solum restare.

Congemuit ille, manus ante oculos pressit et per conclave incessit, sicut aliquis eum persequeretur. Quod nuper ibi cogitaverat, tam terribile erat, ut eodem loco manere non posset, ubi hoc in mentem venisset. In sella iuxta parietem consedit, manus consertas inter genua suspendebat et tristis tabulam pavimenti intuebatur.

Conscientia... quanta voce conscientia eius clamabat! Se peccavisse, peccavisse in se ipsum omnibus his annis labentibus, in tenerum instrumentum sui corporis. Errores temerarios mentis iuvenilis, noctes pervigilatas, dies in aere conclavis tabaco fumosi, spiritus pleniorum se fuisse, immemorem corporis, medicamenta stimulantia, quibus se ad operam instigaret – omnia hæc nunc esse vindicata!

Si essent vindicata, se deis resistere velle, qui culpas mitterent et poenas caperent. Se vixisse, ut vivere deberet, non tempus habuisse, ut prudenter, non tempus, ut caute ageret. Hic, in hoc loco pectoris, dum spiraret, tussiret, oscitaret, usque in eodem puncto sentiri hunc dolorem, hanc monitionem exiguum, diabolicam, acrem, terebrantem, quæ non remitteret, postquam abhinc quinque annos Erfordiæ catarrhus, fervidus iste morbus pectoris, in se impetum fecisset: quid ea vellet monere? Reapse se nimis bene scire, quid monere vellet – licet medicus æstimaret, quid posset, quid vellet. Se haud tempus habere, ut sibi sapienter indulgeret, se miti probitate tractaret. Mox id facendum esse, quod facere vellet, iam hodie, celeriter. – Probitas? Sed quemadmodum postremo fieri posset, ut peccatum ipsum – se immo rebus nocentibus terentibusque dedere – sibi probius videretur quam omnis

sapiencia et disciplina frigida? Non eam, non artem contemnendam bonæ conscientiæ rem esse probam, sed contentionem et angustias, animi concitationem et dolorem!

Dolor... Quantum nomen illud pectus eius amplificabat! Se erexit, manus conseruit, et aspectus eius, sub coniunctis superciliis rutilis, quasi gemitu dulci animatus est. Nondum hominem esse miserum, nondum plane miserum, quoad miseriam suam nomine superbo et nobili appellare posset. Re una opus esse: audacia, ut vitam suam nomine magno et pulchro appellare posset! Causam doloris non aerem conclavis et obstipationem esse! Satis se validum esse, ut elatus esset – ut corporalitatem omittiteret et neglegeret! In hac una re se esse simplicem, ceteroquin omniscientem! Credere, in dolorem credere posse. Se autem in dolorem tam profunde, tam pie credere, ut putaret nihil, quod sub dolore accideret, eius fidei causa inutile aut malum esse posse. Aspectus eius in manuscriptum translatus est, brachia firmius super pectora conserta sunt... Nonne ingenium ipsum dolor esset? Et si istud illic, opus istud infelix, se dolore afficeret, nonne res in bono statu esset et pæne faustum omen daret? Se numquam verbis ebullivisse et suam suspicionem re vera tum demum expergisci, si id faceret. Opus leviter ebullire solum apud homines inertes et amatores artis expertes, sorte sua contentos et inscos, qui non sub pressione et ingenii viverent. Nam ingenium, dominæ dominique istic in parte pavimenti extrema, nihil facile est, nihil iocosum, nulla quidem potentia sine laboribus. In eius radice est necessitas, critica scientia imaginis perfectæ, insufficientia, quæ potentiam non sine dolore paret et augeat. Et potentissimis et incontentissimis ingenium est flagellum gravissimum. – Non lamentari! Non gloriari! Contentum patientem cogitare id solum, quod ipse ferret! Si nullus dies septimanæ, nulla hora diei, sine dolore esset – quid plura? Onera, res gestæ, postulationes, querelas, labores parvi æstimari, parvi spectari – id ipsum hominem magnum facere!

Surrexit, capsam tabaci sternutatorii prompsit et avide naribus halitum duxit, manus post tergum iecit et tam vehementer per conclave progressus est, ut flammæ candelarum vi auræ trepidarent... Maiestas! Excellentia! Expugnatio mundi et immortalitas nominis! Quid valeret omnis fortuna hominum ignotorum contra hanc metam? Notum esse – notum et amatum apud omnes mundi nationes! Licet vos de egoismo gariatis, qui nihil scitis de suavitate huius somnii et desiderii urgentis! Egoisticum est omne insolitum, quoad laborat. Vos ipsi rem intuemini, et rem dicite vos,



Pinxit Rauno Luttinen 2014.

vocationis expertes, vos, quibus cuncta in mundo facilitiora sunt! Et ambitio dicit: num dolorem vanum fuisse necesse est? Immo magnum me facere debet!

Alæ nasi eius magni intentæ erant, oculi minabantur et errabant. Manus dextra vehementer et profunde in limbum vestis matutinæ trusa erat, dum sinistra pugno facto pendet. Rubor volitans in genas macras intraverat, flamma exsiliens ex pruni egoismi artificis alte surgens, flagrantis illius studii sui ipsius, quod inexstincte in interiore eius parte ardebat. Bene illam sensit, exaltationem occultam huius amoris. Interdum solum manum suam intueri debuit, ut suavissima indulgentia impleretur, et ita in servitium earum rerum omnia ponere constituit, quæ ei pro armis ingenii et artis data erant. Sibi id facere licere, nihil in eo humile esse. Nam profundius quam illum egoismum in se vivere quandam conscientiam se innocenter exauriendi totumque dedicandi, non compensatione, sed necessitate, in servitio alicuius rei altioris. Hanc suam esse invidiam: se non pati quemquam maiorem fieri, qui non gravius laboravisset pro altitudine illa.

Nemo! – Manum super oculos tenens, superiore parte corporis in obliquum incurvata, evitans, fugiens constituit. Sed iam spinam cogitationis huius inevitabilis in corde sentiebat, erga illum, illum alterum, illum serenum, tactu felicem, libidinosum, divine ingenitum, erga illum, qui illic Vimariæ sedem habebat et quem cum invidia desirio mixta amabat. Et iterum, sicut semper, in profunda sollicitate, cum festinatione et studio, operam in se oriri sentiebat, quæ hanc cogita-

tionem sequi solebat: se naturam suam propriam et artificis essentiam adversus illum alterum defendere et determinare. Num esset ille maior? Qua in re? Cur? Num esset victoria eius contumacia cruenta? Num fieret clades illius umquam spectaculum tragicum? Deum illum esse, fortasse – non autem heroem. Sed facilius esse hominem deum quam heroem! Facilius... Illi alteri omnia faciliora esse! Sapienter et feliciter intelligentiam a creatione discerni, ita alacriter et sine dolore fructuose ebullire posse. Si autem creare divinum esset, cognitionem esse herois fortitudinem, utrumque illum esse, et deum et heroem, qui comprehendendo opus crearet!

Voluntas in difficultatem... Num quisquam posset ominari, quantum disciplinæ et sui temperantiaæ una tantum sententia, una cogitatio severa sibi constaret? Se postremo inscium et paulum institutum, hebetem et alucinantem esse somniatorem. Difficilius esse litteras Iulii conscribere quam optimam scænam creare, – esset id ideo immo aliquid altius? A primo impetu rhythmico artis interioris ad argumentum, ad materiam, ad facultatem effusionis – usque ad cogitationem, ad picturam, verbum, versum: quod luctamen! quæ via dolorosa! Miracula desiderii esse opera sua, desiderii quidem formæ, figuræ, circumscriptionis, corporalitatis, desiderii in mundum clarum illius alterius, qui immediate et ore divino rebus deliberatis nomina daret.

Tamen, et illi ipsi pro contumacia: Quis esset artifex, poeta, qui se æquaret, sibi ipsi par esset? Quis, ut ipse, e nihilo crearet, ex proprio pectore? Nonne tamquam musica, primum exemplum essentiæ purum, poema in suo pectore conceptum esse, longe priusquam signum et vestitum e rebus existentibus sumeret. Historiam, sapientiam mundanam, cupiditatem: nihil nisi instrumenta esse et similitudines pro aliqua re, quæ haud multum cum illis ageret, quæ domicilium in profundis Orphicis haberent. Verba et conceptus: chordas solum esse, quas essentia suæ artis percuteret, ut occultum psalterium personaret. – Hoc notum hominibus esset? Se magnopere laudari, a bonis quidem hominibus, propter vim animi, qua hanc aut illam chordam percuteret. Verbum suum gratissimum, studium altissimum, magnam campanam, qua ad animi festum supremum homines vocaret, haud paucos ad locum illicere... Libertatem... Se, profecto, plus et minus in ea re intellegere quam illos exsultantes. Libertas – quid tandem significaret? An non paulum dignitatis civilis ante thronum principalem? Conamini somniare, quas res omnino animus hoc verbo dicere audeat? Libertas – ex qua re? Ex qua tandem re adhuc?

Fortasse etiam ex felicitate, ex felicitate humana, ex vinculo hoc serico, hoc officio molli et suavi.

Liberum se esse felicitate... Labra eius micabant, quasi eius aspectus intus verteretur, et ita faciem lente in manus demitti permisit... Ille in conclavi proximo erat. Lux sublivida e lampade pensili effluebat, et velum floratum fenestram sinibus immotis tegebat. Ad lectum stabat, se super caput suave in pulvino quiescens inclinabat... Cirrus niger ad genam pallore margaritæ lucentem sinuabatur, et labra puellaria in somno levi semihiabant... Uxor mea! Amata! Tune desiderium meum secuta es et ad me es ingressa, ut felicitas mea fias? Tu es felicitas mea, sileas! Dormi! Noli nunc aperire cilia tua umbras longas efficientia, ut me magnis oculis fuscis intuearis, ut sæpe facere solebas, cum me rogares et quereres! Pro Deus, pro Deus, valde ego te amo! Interim modo sensum meum non reperire possum, quod sæpe dolore et contentione fatigatus sum propter munus illud, quod mihi ipsi ipse pono. Nec nimis me tuum esse licet nec plane in te felicem esse, vocationis meæ causa...

Uxorem suam basiavit, a calore somni eius levis et suavis discedebat, circumspiciebat et revertit. Campana eum admonuit, quam longe nox iam progressa esset, simul autem finem horæ gravis benigne ostendebat. Respirabat, labra eius firme claudebantur; profectus est et calatum cepit... Non esse mærendum! Se nimis profunde esse, ut mærere deberet! Non ad chaos descendendum, saltem ibi tempus non esse perdendum! Sed a chao, quod sit abundantia, potens et maturum ad lucem est extollendum, ut formam capiat. Non mæreri: laborari! Determinari, excludi, formari, perfici.

Et perfectum est, opus illud dolorum. Fortasse non bonum, sed perfectum. Et cum perfectum est, ecce: etiam bonum est. Et ex animo eius, e musica et idea, opera nova exoriebantur, compositiones sonantes et splendentes, quæ efficiebant, ut patria infinita in forma sancta mirabiliter præsentiri posset, sicut mare murmurat in concha, unde reperta est. ☩

1. Historia edita sub titulo *Schwere Stunde* 6. 9.1905 in *Simplicissimus* Monachium, deinde in collectione *Das Wunderkind* 1914 Berlin.

DE CONVENTV BATAVICO

- refert Mariola Dapsens -

Lingua Latina viva apud Batavos mirifice floret. Nam die Solis XXIII m. Martis præterito in Athenæo Illustri, e cineribus suis nuper renato, lautissime accep- ti sumus, Carolina Thuysbaert, Stephanus Feye (Scholæ Novæ rectores), Franciscus-Xaverius egoque, ad secundum «Conventum Latinitatis» celebrandum, Camillo Schutte eiusque filio Abele auctoribus – qui Latine cum apud Scholam Novam, tum in Vivario Novo loqui didicerunt. Qui conventus quatuor diebus vivæ Latinitati dicatis terminum posuit. Dies Iovis, «Latinus» dictus, vivis rationibus ad linguam Latinam docendam destinatus est; die Veneris habitæ sunt scholæ discipulis gymnasiorum apertæ, die Saturni autem omnibus. Quos participaverunt circa ducenti discipuli studiosi et hoc novo docendi modo maxime accensi. Die Solis peracta sunt omnia Conventu Latino ipso, de quo nunc verba aliqua faciemus.

Primum recepti sumus in ædes sumptuosas, quæ olim Athenæum Illustrum priscum continebant. Tunc gradus ascendimus ad pulcherrimum sanctæ Agnis Sacellum, cum lacunari ligneo decoro, tum virorum doctorum tabulis pictis ornatum.

Quinque oratores ex variis Scholis et Universitatibus dein acroases Latine habuerunt in ipso Sacello, de modis variorum locorum ac ætatum Latine docendi. Orator quisque plus minusve dimidiam horam loquebatur. Quibus orationibus circa XL auditores intererant.

Primus dominus Stephanus Busch, professor in Universitate Augustæ Treverorum, locutus est, qui quamquam Latine ante vix locutus erat, tamen ornato sermone Latino puchram habuit orationem, de modo quo antiqui Batavi, id est ætatis qua eos Romani aggressi sunt, Latine erudirentur.

Secutus est Gerardus Guzmán, in Academia c.n. Vivarium Novum linguae Græcae magister, studiis clas- sicis cum in Universitate Publica Mexicana tum Romæ in Salesiana peractis, qui nos sermone Græco antiquo – mirabile dictu! – delectavit; de viis agebatur quibus humanistæ tempore Artium Renatarum Græcam lin- guam discipulos docerent. Multos ostendit nobis dialogos ad linguam Græcam vivo modo ex lingua Latina descendam et docendam, necnon aliqua lexica, inter quæ illud Marsilius Ficini.

Tertius orator Christophorus Pieper fuit, Lugduni Batavorum associatus professor; de Christophoro Landino – sibi iam perfecte noto – orationem habuit deque commentariis quæ scripsit, Dantem, Horatium ac Vergilium imitatus, ad iuvenes viva necnon iucunda ratione docendos.

Deinde, tempore aliquo intermisso, verba fecit



Sebastianus Petrus van Bommel, lauream doctoralem apud Universitatem Ultraiectinam nuper adeptus, ceterum egregius orator; de Schola ac de modis Latine docendi apud Batavos locutus est, non antiquis tempori- bus ut primus orator, sed sæculo undevicesimo; quod sermone non solum pulcherrimo, sed etiam vivacissi- mo egit.

Ultima verba habuit Valahfridus Stroh, qui Latinitate et pronunciatione ornatissima – ut solet – locutus est de fabulis iucundis quibus pueri puellæque Græce et Latine erudirentur. Initium sumens a *Batrachomyomachia* ab Homero conscripta, recoluit omnia sæcula nostrum usque.

Hi quinque oratores mirum in modum ostenderunt iamdudum extitisse vias ad linguas antiquas vivo modo docendas, nec has «horribiles» a discipulis habitas esse, ut hodie sæpe fertur. Nobis variarum terrarum et æta- tum conspectum perspicuum de viis quæ extabant præ- bere valuerunt, et quibus nos adhuc uti possumus.

Iis oratoribus gratulari et congratulari cupimus, necnon huius conventus institutoribus et fautoribus, quorum gratia potuerunt plus centum discipuli studen- tesque linguam Latinam novo ex conspectu non solum audire sed etiam paululum discere, plus autem quadra- ginta homines Latinitatis causa convenire.

Utinam crescant et multiplicentur talia incepta! ☩



Gaius LICOPPE,
*Academia Latinitati Fovendæ. Eius historia
per motum Latinitatis vivæ considerata (1952-2012)*,
Bruxellis, Melissa, 2014, 410 p.

Hic liber non solum spectat ad Academiæ sodales eosque, quibus Academia est curæ, sed etiam ad omnes Latinitatis Vivæ cultores, qui ibi originem Motus Latinitatis Vivæ invenient necnon eius egregios fautores eorumque spes, res gestas et obstacula. Scient etiam qua fortuna Academia Latinitati Fovendæ e Motu Latinitatis Vivæ oriri potuerit.

Pretium: 30 eur.

[Excerptum]

Academiæ historia intellegi non potest, nisi eius præhistoria primum attente inspiciatur; radices enim habet in Amotu Latinitatis Vivæ, quem Avennione in Francogallia anno 1956 induxit primus « Viventis linguae Latinæ causa Conventus Universus ».

Ab exeunte duodecimmo sæculo, propter nationalismos Europæos magis magisque tyrannicos et bellicosos, usus traditæ communisque Europæorum linguae, Latinæ scilicet, a rebus publicis consulto exclusus est. Sola manuit institutio scholaris linguae mortuæ, quæ tamen diu necessaria visa est ad formandas et locupletandas electorum iuvenum mentes, nostris autem temporibus æstimatur supervacanea.

Hic illic tamen ante primum bellum mundanum edebantur nonnulla periodica Latina, quorum moderatores usum linguae Latinæ in Europa restituere volebant. Unum ex his periodicis, c.t. *Phoenix seu Nuntius Latinus internationalis*, Oxoniæ in Magna Britannia anno 1890 edi coeptum est, de quo Æmilius Chatelain anno insequenti in præfatione lexici Francogallo-Latini aliquid miri scripsit: « Laudabile est consilium commentariorum Latinorum *Phoenix* inscriptorum, ut lingua Latina sermo fiat universalis. Potius quam linguam novam fingamus ut 'Volapuk', aiunt periodici moderatores, quin utamur notionibus, quas habent omnes, qui studia fecerunt apud populos excultos? Hoc modo discipuli clarius percipient finem exercitationum sibi impositorum. Nobile quidem propositum, et frugiferum. Quod cum ad effectum duci coeptum erit, sufficiet lexicon confidere, quo modernis verbis Latinis designentur inventa nova ». His verbis, his argumentis Æmilius Chatelain prænuntiabat Motum Latinitatis Vivæ, qui post duo bella mundana demum ortus est.

LINGUA LATINA AUT TURRIS BABYLONICA (1952) – Iohannes Capelle, Francogallus ingeniarius Rectorque Universitatis Nanceiensis (*Nancy*), in commentariis q.t. *L'Éducation Nationale* die 23 m. Octobris anno 1952 editis, symbolam provocatoriam divulgat, « Le Latin ou Babel » inscriptam, i.e. « Lingua Latina aut Turris Babylonica »; qua ad summam dicit hæc:

« Pace egemus inter gentes; commercium œconomicum necnon sociale nunc necessario fit per totum orbem terrarum; videmus progressus technicos civitatum limites fecisse obsoletos. Inde oritur linguarum difficultas. Eduntur enim nostris temporibus commentationes Francogallice, Anglice, Theodisce, Russice, Hispanice, Italice... scriptæ; mox veri similiter se adiungent Arabes, Indi, Sinenses... Ei, qui conventus internationales participant, sciunt quantum linguarum multiplicitas impedit intellegentiam rerum expositarum. Non sufficiunt interpretes, quibus vocabula technica vertenda magnæ sunt difficultati. Ne trium quidem vel quattuor linguarum notitia sufficit, quamquam, etsi multilinguismus vix potest fieri, homines tamen sine nimia molestia bilingues fieri possunt. Consilium meum non solum spectat ad technicos et scientificos indagatores, sed etiam ad eos, qui munere funguntur in rebus diplomaticis aut negotiis, nam præcipue eis usus alterius universalisque linguae videtur utilis. Veri similiter nulla lingua nationalis accipietur ab universis; quin ergo ad linguam Latinam revertamur, quæ per tot sæcula optimum instrumentum communicationis fuit inter doctos? Latinam tamen linguam in usum restituere non possumus nisi rationes docendi funditus mutemus. »

Tempore, quo Iohannes Capelle hæc scribebat, plerique eruditii scholarem linguae Latinæ notitiam adhuc habebant; præterea Europæi sibi nondum fingebant Americanorum dominationem œconomicam, technicam militaremque mox linguam Anglicam ceteris nationibus imposituram esse (...)

DE NOVIS LIBRIS

GOSCINNY & SEMPÉ, *Parvus Nicolaus. Der kleine Nick auf Latein und Deutsch*, Lateinisch von Nikolaus GROSS getreu der deutschen Übersetzung von Hans Georg Lenzen, Zürich, Diogenes Verlag, 2014, 136 + 4 p.

Moderatores Turicensis domus editoriae ‘Diogenes’, cum audivissent in Francogallia divulgatam esse parvuli illius Nicolai (*Le petit Nicolas*) translationem plane miserrimam (vide *Melissæ* fasciculum 172, p. I), a Nicolao Gross petiverunt ut easdem narratiunculas Latine redderet modo magis laudabili.

Et quidem bene fecerunt. Translator enim, etsi non textu originali nisus est, sed Theodisca versione Iohannis Georgii Lenzen, pueriles Renati Goscinny narratiunculas Latina veste ita induit, ut *Parvus Nicolaus* videatur sponte sua, non per severum interpretem, Latine narrare vitam suam leporibus plenam.

Hic, Deo gratias, mamma Nicolao non iam emit, ut

legitur in priore versione, «superhyper vidulum», sed «peram scholarem perquam mirabilem»; neque in schola discipuli «semidiedentes» (?) prandium sumunt in «cibotheca», sed «semi-pensionarii» in «popina scholari», ut consentaneum est. Ac Deo etiam maiores gratias, Nicolaus non iam identidem clamare solet istud absurdum «Glaucops est!» loco Francogallicæ locutionis «C'est chouette!», sed «Bellissime!», quod multo Latinus, ut patet, sonat.

Ac re vera, paucissimis omissis indiligentiis (sine quibus nullus liber sit humaniter factus), unum manet de lerido hoc *Parvo Nicolao* dicendum: bellissime!

Stephanus COOMBS, *In perendinum ævum. Carmina Latina, New Latin poetry with parallel texts and notes in English*, Holmiæ, 2014, 188 + 29 p.

Auctor, Anglus Suetiensis, «bellante mundo natus undarum sonis», ut ipse canit, musicus, investigator primævæ liturgiæ christianæ, ignotus non est amatoribus hodiernæ poesis, qui e Tela Totius Terræ carpere solent carmina: eius enim opera in periodico interretiali *Vates* inscripto inque sede *Modern Latin Poetry* (www.suberic.net) inveniuntur satis numerosa.

Vena poetica omni occasione afflatus, Stephanus

Coombs hoc libro omnia canit, quæ ad vitam pertinent: urbes, familiares, memorias peculiares, scènas musicas, mythica, leviora, graviora; nec stilum mediævalem, nec haicua despicit. Addita est carminum versio Anglica necnon, sub libri finem, adnotationes explicativesque de antiquo metro a se novato (Anglice).

Qui exemplar sibi comparare volet, ad ipsum scribat auctorem: stephen.coombs@ymail.com

Le Mahabharata. Le Livre de la Forêt, textes traduits du sanskrit par Gilles SCHAUFELBERGER & Guy VINCENT, tome II, Paris, Orizons, 2013, 507 p.

In præterito *Melissæ* fasciculo (n. 179, p. 14-15) fusius tractavimus de ingenti quodam opere, id est de Francogallica *Mahabharatae* translatione, quam duo viri

docti una suscepérunt. Ecce nunc eiusdem operis secundus tomus lectoribus proponitur, «Liber de Silva», admiratione æque dignus.

Vittorio SEBASTIANI, *Matera atrocities are murders*, Matera, Edizioni Giannatelli, 2014, 204 p.

Cuius operis longum subtitulum: *21 Settembre 1943 - ultimo atto 70 anni dopo. Le prime atrocità di guerra naziste in Italia e la prima insurrezione. Un nuovo*

orientamento storico e un documento internazionale 'WO 310/102 Matera - secret - London', ipse auctor mox in *Melissæ* paginis Latine explicabit!

DE NOVIS LIBRIS

Laurence GAUTHIER, Jacqueline ZORLU, *Paris en latin, legenda est Lutetia, grands et petits secrets des inscriptions latines de la capitale*, Parisiis, apud Parigramme editorem (sic), 2014, 174 p., II,90 eur.

Liber inscriptiones publicas urbis Lutetiæ Parisiorum colligit illustratque Gallice. Sic non solum historiam civitatis, sed Latinitatis discimus cum optimis commentariis doctissimarum scriptorum, quæ invenerunt inscriptiones interdum bene latentes, in

ædificiis publicis, privatis necnon in ecclesiis vel in tabernis, atque eas ordinaverunt iuxta regiones urbis.

Daniel Blanchard

Carlos NOREÑA, *Juan Luis Vives, vie et destin d'un humaniste européen*, liber ab Olivario Iustinaque PEDEFLOUS in Gallicam linguam transversus, adiuvante Roberto SALAZAR, cum introductione eiusdem Olivarii Pedeflous, Parisiis, Les Belles Lettres, 2013, 464 p., 45 eur.

Iohannes Ludovicus Vives sine dubio unus doctissimorum virorum sæculi sexti decimi fuit, simul ac amicus notorum illius ævi litteratorum. Erasmus exempli gratia frequentavit, ut alios taceam. Auctor Carolus Noreña maximi momenti librum lectoribus præbuit, quo liceat multa de vita, doctrina, opinionibus, operis que Hispanici humanistæ scire. Excerpta Latina feli-citer non desunt. Vives eximius paedagogus fuit, et

integrum capitulum exstat, de modo, quo discipulos docere voluit litteras Latinas, quem hodie vocaremus «vivum»: magister enim non in solis libris, sed etiam in ore discipulorum cupiebat Latinitatem, ut decet, vigere.

Daniel Blanchard

Desiderius ERASMUS, *Adagia omnia, cum scripto originali Latine et Græce, et translatione Gallica a LXII translatoribus confecta, locupletibus indicibus notisque*, Parisiis, Les Belles Lettres, Editio maior, 5440 paginæ in quinque tomis distributæ, 2011, 426 eur. et nunc Editio minor, quæ gestabilis dicitur, 5592 paginæ, cui additum est proœmium Erasmi anni MD, 2013, 199 eur.

Non necesse est dicere, quis fuerit Erasmus, neque de ingenti summa Adagiorum (exstant plus quam quatuor millia). Dicam breviter opus non fuisse leve, omnia ad linguam Gallicam non sine notis convertere. Translatores ergo gregem (sive legionem!) LXII hominum (inter quos ego felix) regente Iohanne Christophoro Saladin constituerunt, ut hoc opus Romanum perficerent, neque oleum perdiderunt, nam

intra tres annos editus est liber. Continetur collectio ingens locutionum proverbiorumque tam Græcorum quam Latinorum cum doctis commentariis Erasmi, opus maximi momenti quod pertinet ad philosophiam, litteras eruditionemque ætatis Artium Renascentium.

Daniel Blanchard



In hoc fasciculo !

De vestitus pondere in cultu civili [G. Licoppel] p. I

De problematis inversis [I. Ilmavirta] p. 4

Immortalitas [M. Cristini] p. 6

Hora gravis [T. Mann - Y. Luttinen, T. Oksala, M.L. Kallela] p. 9

De conventu Batavico [M. Dapsens] p. 13

Bibliotheca Latina p. 14

Imago tegumenti: certamen pedifolii, Florentiæ sæc. XVII.

Pietro di Lorenzo Bini, Memorie del calcio fiorentino, 1688 (Wikimedia).

Latine loqui :

CÆLVM (Cursus Æstivus Latinitatis Vivæ Matritensis), 25-30 m. Aug. a. 2014
www.culturaclasica.com/caelum

Conventiculum Bostoniense - 26 m. Iulii – 3 m. Augusti a. 2014
www.conventiculum.org

Conventiculum Dickinsoniense - In Pensilvania, 7-13 m. Iulii a. 2014
<http://blogs.dickinson.edu/dcc/2013/09/27/conventiculum-dickinsoniense-2014/>

Conventiculum Latinum - Lexingtoniæ, 21-28 m. Iulii a. 2014
<http://mcl.as.uky.edu/conventiculum-latinum-lexingtoniense-2014-latine>

Feriæ Latinæ Ferigoletenses - 15-22 m. Iulii a. 2014
marie-antoinette.avich@orange.fr

Linguæ Latinæ institutio æstiva - Romæ apud Academiam Vivarium Novum
<http://vivariumnovum.net>

L.V.P.Ae & Universitatis Posnaniensis Seminarium Posnaniense (in Polonia), 11-17 m. Aug. a. 2014
<http://www.lvpa.de/>

Septimana Californiana instituti SALVI - Angelopoli, 30 m. Iunii – 7 m. Iulii a. 2014
www.latin.org/programs/septimana/Latine

Septimanæ Latinæ Europæ - Amœneburgi, 2-9 m. Aug. a. 2014
Frisingæ, 24-30 m. Aug. a. 2014
<http://www.septimanalatina.org>

Societatis Latinæ seminaria Latinitatis vivæ - In abbatia Ottiliensi, in Bavaria, 14-18 m. Iul. a. 2014
In oppido Theulegio, in Saravia, 17-23 m. Aug. a. 2014
www.voxlatina.uni-saarland.de

MELISSA, folia perenni Latinitati dicata, sexies in anno edita.

Pretium annuæ subnotationis : 15 eur. / 20 \$

BNP Paribas Fortis : 001-6287115-39

BIC : GEBABEBB, IBAN : BE13 0016 2871 1539

